

I. N. J.

SPECIMEN ACADEMICUM,  
*De*

**M. ATTILIO  
REGULO,**

*Quod*

Ex Consensu & Auctoritate, Ampl.

FAC. PHIL. in Regia Acad. Aboënsi,

SUB PRÆSIDIO,

VIRI

*Amplissimi Celeberrimique,*

**DN. ISR: J. NESSELI,**

Romanæ Eloqv. Prof. Ord.

EXERCITII GRATIA,

*Publica Bonorum censura modeste  
submittit,*

**PETRUS A. IGNATIUS**

*Helsingforsensis.*

Ad d. 21 Junii, A. 1709. in Audit: Maj:

---

Impr. apud JOH. L. WALL.

I. N. J.  
SPECIMEN ACADEMICUM

M. A. T. I. L. L. O.  
R. E. C. U. L. O.

Consilio & Auctoritate Ampli  
Sac. P. in Regia Acad. Abolita  
SUB P. R. RESIDIO

Amplissimo Censurissimo

Dr. I. N. J. N. E. S. S. E. L. L. I.

Romanus Rector Prof. Ord.

EXTRACTUM GRATIAE

Publicae Rectoriae curae magistrae

liberatae

P. E. T. R. U. S. A. I. G. N. A. T. I. U. S.

Magister

Ab h. in Jul. A. 1750. in Auct. Mar.

Imp. opus Joh. I. Wall.

IN DEUM  
ET REGEM

Summæ Fidei VIRO,  
REVERENDISSIMO in CHRISTO  
PATRI AC DOMINO,

DN. DAVIDI

Q. R. M. D.

S. S. Theologiæ DOCTORI  
Consummatissimo,  
Dieceſios Wiburgenſis EPISCOPO  
Eminentissimo,  
Conſiſtorii Eccleſiaſtici PRÆSIDE  
Gravissimo,  
Regiique Gymnaſii EPHORO  
Ampliſſimo,  
PATRONO & MÆCENATI ſuo  
Maximo,  
Submiſſo animi cultu æternum  
ſuſpiciendo,

QVÆVIS FAUSTA FELICIAQVE!

Ignobilem. huncce. foetum.  
Sola. argumenti. dignitate.  
& pietate. offerentis.  
æstimandum.

Cum. ardentissimo. voto.  
pro. omnigena.

**TUI, NOMINIS.**

Salute.

vitæque. perennitate.  
cumque. humillima. sui,

&

fortis. suæ.

commendatione.

oblatum. venit.

**REVERENDISSIMI PATRIS**

*Cliens humillimus*

**PETRUS IGNATIUS, A. F.**

*Plur. Reverendo atq; Praclarissimo,*

**DN. MATTHIÆ MARTINIO,**  
SS. Theol. LECTORI dexterrimo, Pa-  
stori & Præposito in Säckjârwi longe  
meritissimo, Consistorii Adessori æ-  
quissimo, ut antea Præceptorum fidelis-  
simo, ita nunc, Patrono propensissimo,  
omni observantia nunquam non co-  
lendo.

*Plur: Reverendo & Praclarissimo.*

**DN. M. ANDREÆ IGNATIO,**  
Pastori & Præposito Ecclesiæ Hel-  
singforlensis, & annexæ, diu meri-  
tissimo, Parenti suo longe carissimo,  
filiali pietate ad cineres usque ve-  
nerando.

**DN. DN. Cymnasia Wiburgensis Philo-  
sophiæ LECTORIBUS meritissimis,  
Consistorii ADSESSORIBUS dignis-  
simis, Promotoribus quovis officio-  
rum cultu prosequendis.**

*Primitias hac ingenii mei, viles licet  
& exiguas, in perpetua obser-  
vantia signum, offert*

**A. & R.**

JUVENI

Optimæ spei & vitæ,  
Doctrina & moribus con-  
spicuo,

DN. P E T R O  
I G N A T I O,

*De publico eruditioni Spe-  
cimine.*

**D**um Tua Romanum depingit  
pagina ducem:

Præmia pro meritis Fabula Græca  
dabit.

*L. Mg.*

Gratulatur,

PETRUS TIGERSTEDT

# LECTORI

Candido & censori æquo.



*Pecimen aliquod edituro mihi tenuissimi progressus mei, calamitosa hacce tempestate, dum nulla malorum facies deest, dum armorum strepitus pavidas nostras aures usque quaque implent ferme, occupant & obtundunt, convenientissimum sane visum fuit, de M. Attilio Regulo quedam colligere, qui ob fortitudinem, constantiam, imo pietatem in patriam summis olim maculatus laudibus fuit, & adhuc forte meretur, ut virtutum suarum ferat fructum: Quocirca nequaquam spero quenquam mihi illud Poëta oggessurum, Vilia sunt nobis quæcunque prioribus annis*

*Vidimus, quicquid & sordet spectavimus olim.*

*Nam & illa antiquitatis consideratio, teste Polybio, posteritati interdum utilissima est. Licet à me pingvioris ingenii homunculo,*

novum aliquod expectari nequeat, cui hoc  
levidense Μελέτημα pro reddenda ratione  
studiorum qualiumcumque sufficiet, circa  
hoc negotium sat habituro, si animum ad-  
bibuerim attentum, corticemque fregerim,  
etsi forte nucleum non tetigerim. Cumq̄  
me, mortalium quorundam mala indo-  
quibus semper arridet, sinistre, de candore  
alicujus sentire, non lateat, rogo ut, si  
possint, mihi parcant, sin minus, illos ve-  
re mansuram, spero maculam Zoili Momique  
Sociis inuri solitam. Mibi interim gra-  
tissimum erit, aliquem æquum censorem  
reperire, qui calculum mihi album, uti  
spero, additurus est, quem quoque semper  
favere, valere, & quibusvis bonis frui  
opto !





§. I.



Trenuas illas domi  
forisque à viris  
clarissimis adhi-  
bitas artes ac in-  
terjecta discrimi-  
na, quibus res  
Romana ad sum-  
mum perducta fa-  
stigium est, considerantibus, virtutem  
ac fortunam, ad constituendum tam il-  
lustre imperium, contendisse videri af-  
firmat L. Annæus Florus; quanquam  
rectius heic Providentiæ mentionem  
Plutarchus acutissimus ille scriptor in-  
jiciat. Præterea etiam, quamdiu prisca  
illa disciplinæ severitas steterit, incre-  
menta maxima cepisse, sensim vero de-

A

tri

trimenta sensisse Rempublicam, postquam luxus, mollities aliaque vitia in eam irrepsissent, gravissimi scriptores observant. Vid. Vellej. Paterclib. 2. c. 1. & Dion Cassius lib. 38.

§. II.

Cæterum crescenti jam inter varios bellicosos populos Romæ, constantiam, religionem ac pietatem maxime conducere putabant cives. Unde est, quod Lib. 3. c. 8. ex 2. Val. Max. scribat Q. Fabium Max. quamvis compluribus laceffitus esset injuriis, in eodem tamen animi habitu permansisse nec sibi permisisse, irasci Reipublicæ, additq; Lib: 1: c: 1. ex 1 & 2 idem diligentissimus auctor, tantum studium Romanis, non solum observandæ, sed etiam amplificandæ religionis fuisse, ut ei summum quoque imperium cesserit. Nam Metellus Pontifex Maximus Postumium Consulem ad bellum gerendum Africam petentem, ne a sacris discederet, mulcta indicta, urbem egredi passus non

non

non est. Sed in his, qui custodierunt religionem, nescit idem Valerius Lib: 1: c: 14: an omnes M: Attilius Regulus præcesserit, qui captus insidiis Xantippi ac missus ad Romanos, ut ex se uno & sene, complures Pœnorum juvenes pensarentur, in contrarium dato consilio karthaginem repetiit; juraverat namque his, captivis eorum non redditis, sese reversurum. Plura pietatis exempla apud citatum scriptorem videas Lib: 5: c: 6: ex: 5: & 6,

§. III.

Quod res Romanorum virtute creverit, satis superque monstrat Cicero in Philipp: 4: testes ejus rei adducens, universam Italiam à Populo Romano, ope virtutis divictam, Karthaginem excisam, Numantiam everfam, potentissimos Reges, bellicosissimas gentes, in ditionem imperii redactas. Plutarchus autem de Fortuna Romanorum, probabile esse dicit, fortunam

& virtutem ad tantam imperii ac potentiae conglutinationem, induciis factis, convenisse, atque ubi convenerunt, absolvisse & consummasse opus omnium humanorum pulcerrimum; quamvis sapientiae hoc ab aliis adscribi subinuat.

§. IV.

Philosophiae studium à Græcis Romanam introductum esse atque falso ei restitisse Catonem Censorium, idem affirmat Plutarchus in Catone majore. Nam cum Diogenem Philosophum Stoicum & Carneadem, Atheniensium legatos, Romanam adventantes, studiosissimi quique adolescentes adibant frequentesque audiebant, Romani plerique libentissime viderunt adolescentiam suam Græcis imbui literis, excellentibusque viris uti. Verum Cato Philosophiam in totum humanitatemque omnem Græcam & literaturam habebat ludibrio, infectos diligans disciplinis Græcis, amissuros imperium Romanos. Cæterum

rum vanum hoc ipsius apparuisse ma-  
lum omen ipso tempore, quo ad re-  
rum culmen urbs evasit, cum omni se  
Græcæ eruditioni & institutioni dedis-  
set, censes Plutarchus. conf: Tullius ab  
initio Lib: 1 Tusculan: Quæst.

§ V.

Varias inter Romanos fuisse phi-  
losophiæ sectas, magnosque viros va-  
riis sectis demum addictos, Cicero non  
infrequenter in libris de offic: monstrat,  
& de oratore lib: 3 sectas illas docet ex  
Socratis variis & diversis disputationi-  
bus ortas, quod scilicet alius aliud ap-  
prehenderet, & inde profeminatas qua-  
si familias dissentientes & multum dis-  
junctas & dispares. Ac primo quidem  
ab ipso Platone Aristoteles & Xeno-  
crates, quorum alter Peripateticorum,  
alter Academiæ nomen obtinuit: de-  
inde ab Antisthene, qui patientiam &  
duritiam in Socratico sermone maxi-  
me adamarat, Cynici primum, deinde

Stoici: tum ab Aristippo, quem illæ magis voluptariæ disputationes delectabant, Cyrenaica Philosophia manavit.

§. VI.

Atqui tot inter sectas, Academica, quæ civibus constantiam Patriæque amorem instillabat, convenientissima Reipublicæ Romanæ, perniciosissima Cyrenaica fuisse videtur. Ea enim Philolophia, inquit loco citato Tullius, quæ suscepit patrociniū voluptatis, etsi cui vera videatur, procul absit tamen ab eo viro, quem quærimus, & quem auctorem publici consilii & regendæ civitatis ducem, & sententiæ atque Eloquentiæ principem in Senatu in populo, in publicis causis esse volumus. avocaret namq; a nostris à judiciis à curia, ac præsertim à Republica. Cineas in Plutarchi Pyrrho incidit forte super cœnam in Epicuri mentionem, recensuitque inter cetera ejus de republica sententiam, nimirum, Reipubl. procul

curationem, quasi quæ vitæ noceat beatæ eamque perturbet, devitandam. Si autem ipsius præcepta apud Diogenem Laërtium lib. 10. nobis relicta inspexerimus, nihil ipsis perniciosius esse Reipubl. poterit. Confitetur enim se nihil habere, quod bonum intelligat, si saporum voluptates; quæque ex venereis constant, & quæ ex formæ venustate blandiuntur oculis, auferantur, cum voluptas finis ac principium beatæ vitæ sit: probos amaturum sapientem negat, neque accessurum ad rempublicam. Omnem disciplinam fugere jubet. Cæterum de Academicis egregie differit Cicero lib. 5. de Finib. Bonor. & Malor. dicens ab eorum scriptis & institutis cum omnem doctrinam liberalem, omnem historiam, omnem sermonem elegantem sumi posse, tum varietatem esse tantam artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem, satis ornatus possit accedere: ab his Oratores, ab his Imperatores ac rerumpublicarum Principes extitisse.

## §. VII.

Constantiæ Reguli finem fuisse salutem publicam, haud secus ac utriusque Decii, Patris & filii, qui capita sua pro Republica devoverunt, & illius Mucci Scævolaë, qui intrepida mente, manum vivis carbonibus sive ardentibus focis inferendo, pacem afflictiis jam Romanis comparavit, ut Valer. Max. lib. 5. c. 6. ex 5 & 6. Livius lib. 2. c. 12. Florus lib. 1. c. 10. & Plutarchus de casibus comparatis Græcorum ac Romanorum testantur. Quod si Regulus etiam senex domi remansisset, nihil magnæ rei gerere potuisset: dimissi autem Karthaginensium captivi nobiles, strenuam navaturi fuissent Reipubl. in bellis sequentibus operam; quippe mors in præliis honesta quam vita in captivitate misera ipsis haud dubie optabilior fuisset. Potissimum vero id est, quod reverso Karthaginem Regulo, ad ultionem necis ejus irritarentur cives Romani vehementius.



§. VIII.

Ne autem in errorem rapiatur facile Benev. Lector. paucis monendum duco, minime heic de eo agi Attilio, quem spargentem semen & ab aratro Romani ad Consulatum arcesserant, cujus manus, quæ arantium boum jugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt, unde Seranus dictus putatur. Sed de M. Attilio Regulo, ejusdem quidem cum Attilio priore sanguinis & nominis, qui in Africa insolentissimas Karthaginis opes crebris victoriis contudit. De quibus vid. Cicero pro Roscio Amerino, & Valer. Max. lib. 4. c. 4. ex 5. & 6.

§. IX.

Cum Sidicini toties aut ipsi bellum moverent, aut moventibus auxilia tulissent, aut causa armorum contra Romanos fuissent, Patres omni ope annexi sunt, ut maximum ea tempestate imperatorem M. Valer. Corvum Con-

sulem IV. facerent, huic Corvo M. Atilius Regulus collega additus, teste Livio lib. 8, c. 16. Deinde L. Postumii megilli in Consulatu collega, Samnites nebuloso die in castra Romana illaplos fortissime repulit, postea gravissimo prælio, nec sine magna suorum clade vicit, unde ipsi quoque denegatus triumphus. vid, Livius lib. 10. c. 32, 35. & 36.

§. X.

Cæterum cum Manlio Volsone rursus Cos. hic Regulus, ut ex Eutropii lib, 2. v. 493 constat, bellum transferre in Africam, Romanis ardentem cupientibus, prælium navale summa felicitate confecit. Nam fide dignissimus scriptor Punici belli Polybius lib. 1. tradit, Triarios Romanorum (ita enim tunc tertia & quarta classis appellabatur) cum jam pridem ab Annone Karthaginensium duce oppressi, summo in discrimine versarentur, adventu Reguli, reparatis viribus, rursus acerrime dimicasse, ut hostes fuga, salutis suæ consulere cogerent.

rentur, sexaginta quatuor navibus amissis. Unde Romani parato commeatu instauratisque, quas ceperant, navibus, Clypeam sive Aspida, primam in Africo littore urbem expugnant, mox regionem populantur. Addit Appianus in Punicis, ducenta oppida fuisse occupata, trecenta castella vastata memorat Florus lib. 2. c. 2. Donec omnium victor Regulus ipsam belli caput Kartaginem obsidione urgeret.

§. XI.

Si vero probabilibus scriptorum conjecturis stare fas fuerit, hunc Regulum tanta felicitate ornatum ad ultimam calamitatem conjecit, non tam quod alter consul cum parte copiarum omnique præda in Italiam remearet, quam quod crebris victoriis elatus hic Regulus, hostes cœpisset contemnere, ut Stadius ad Florum observat. Deinde peritia Xantippi Lacedæmonii in instruenda acie, censoribus Frontino lib: 3: Stratag: & Polyb: lib: 1:

vel

vel plurimum ad conversionem fortunæ Reguli contulit. Tum incommodum & æstuosum tempus & nox ingruens, quæ omnia Romanis jam armorum pondere, siti, æstu ac labore confectis adversa erant, Pœnis autem comoda, ut ex Appiani Punicis videre licet, & Xantippo bene observata, quem admodum bonis Ducibus svadet Vegetius de re milit: lib: 3: c: 8. Denique maximi hoc in negotio momenti locus est, nam Vegetius l:l:c: 13: Sæpe locum quam virtutem magis prædesse fatetur. Quod præ nimio pugnandi fervore, vel ut prius forte, quam successor ipsi mitteretur, rebus à se præclare gestis, aliquod egregium facinus adderet, Attilius neglexit, nec Xantippi indolem exploravit, qui simul ac de priori clade Karthaginensium inaudisset, illam non à Romanis sed a se ipsis sibi illatam pronuncia-  
 verat. Nam cum antea Pœni in collibus, ubi equitatus eorum, quo prævalebant, inutilis esset, aciem collocassent, hic Laço callidissimus svasit, ut in planitie lo-  
 cis-

cisque æquis sese tenerent, ubi non solum plus, quam in arduis & montanis, equitatus Punicus effecturus foret, verum & Romanos, qui non modo numero equitum longe interiores erant, sed etiam adversus Elephantos, densiorem aciem suam adeoque magis coarctatam instruere cogerentur, facillime circummeundo, undique cæsuri essent Pœni. Quare etiam deleto Romano exercitu, ferme elapsis duobus millibus, vivus in hostium manus, Regulus pervenit. vid: Polyb: lib: 1: Flor: lib: 2: c: 2:

## §. XII.

Idem vero hætenus celeberrimus Dux, à captivitate illa, in quam Karthaginenses eum redegerunt, per victoriam Metelli in Sicilia adversus illos ad Panormum liberatus est. Nam eum jam quadriennio captivum, Romam de pace aut de captivis commutandis, cum suis legatis mittebant. Testibus Eutropio lib. 2. v. 503. & Stadio ad Flori lib: 2: c: 2:

Voluntarii reditus Reguli hujus ad hostes & cruciatus, causa prima fuit Religio in Deos, quos ultores, ni rediret, imploraverat. Dein fides hostibus data servanda, quæ publice facta, quam privatæ difficultates, potiori curæ Romanis erat, cujus etiam semper servatæ famam, ipsis multum profuisse constat ex oratione Capuanorum seu Vibii Virii apud Livium lib: 26: c: 13: cum ne violaretur pietas in patriam, cui reditu suo in Africam servavit, ut si quid crudelius in eum statuissent Pœni, eo acriores infestioresque pro ultione Reguli, quam pro victoria Romanos invenirent. videatur, si lubet, Cicero Paradoxo secundo, ubi pietatem Ducum Romanorum in Patriam bene multis exemplis ostendit. Causa denique reditus potuit esse gloriæ cupiditas ex recte actis, quamvis per tormenta & cruciatus parandæ. Nam Valer: Max: lib: 2: c: 9: ex: 8: dicit,

Ro.

Romano sanguini Fidem præstare, con-  
 veniens fuisse, & M. Attilium Regulum  
 satius esse duxisse per summos crucia-  
 tus expirare quam fallere Karthaginien-  
 ses, quo scilicet major esset Attilii glo-  
 ria, quam in tolerantia quoque pone-  
 bant gentiles; unde Aristoteles lib: 7: E-  
 thich: Nicomach: c. 8. τὸ μὲν καρτερεῖν ἐστὶν  
 ἐν τῷ ἀνέχειν. Quo spectat, quod Florus  
 lib: 2: c. 2. §. 25. effatur, nimirum, quod  
 Regulus victus de victoribus, atque et-  
 iam quia Karthago non cesserat, de for-  
 tuna triumpharit.

§. XIV.

Circa supplicium Reguli, in cir-  
 cumstantiis omnibus non consentire  
 cernuntur scriptores. Etenim Valer:  
 Max: Lib: 9: c: 2 refert Attilium Re-  
 gulum palpebris resectis, machinæ,  
 in qua undique præacuti stimuli emi-  
 nebant, inclusum, vigilantia pariter  
 & continuo tractu doloris necatum.  
 cum hoc conveniunt Cicero in Piso-  
 nem, & Appianus in punicis, nisi quod  
 ille

ille stimulos intus exstantes: hic palpebras resectas & vigilias non memoret, sed machinam insuper caveam dicat. Eundem novis exemplorum modis à Pœnis excruciatum, ostendit Tubero apud Gellium. lib: 6. c: 4: his verbis: in atras & profundas tenebras eum claudabant, ac diu post, ubi erat vitus Sol ardentissimus, repente educebant & adversus ictus Solis appositum continebant, atque intendere in cœlum oculos cogebant, palpebras quoque ejus, ne connivere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant. Eutropius Lib: 2: v: 503: omnibus ait suppliciis Attilium extinctum, quamvis cruci affixum Florus lib: 2: c: 2: sed dubie, sentiat. Id tamen omnes subinnuunt de Attilio supplicio periisse & plerique insomnia. Quod Stadius quoque ad citatum Flori locum observat.

§ XV.

Cæterum adhuc longe major difficultas de veritate hujus supplicii sese



sefe offert. Quippe anfa dubitandi de hac re fuppeterere potest, quod omnes fere, qui hanc Atilii Reguli calamitatem exaggerant, fint Romani fcriptores: deinde in ipsis circumftantiis paullulum divertant. Præterea quod alioquin fatis conflet, alias historias ex unius errore profectas, à multis mox ftabilitas fuiffe. Ad hæc accedit, quod Polybius fcriptor graviffimus fideque digniffimus, qui belli hujus Punicæ historiã accurate describit, ne verbum quidem de hoc Reguli fupplicio tradat, fed potius Romanum fcriptorem Fabium carpat, quod in favorem civium multa fcripferit, quæ vera non effent. Diodorus demum Siculus, etiã fcriptor Græcus, qui veritatem exactiffime rimatus eft, creditur ipfas hujusce erroris cauffas pandere in Fragmento quodam ex lib: 24: tradens uxorem Reguli, quod audiret maritum mortuum effe, putaretque eundem apud Pœnos incuria periiffe, multa crudelitate ufam in Karthaginiensium captivos, fuæ custodiæ à fenatu commiffos: id-

que in solatium, ut post factam commutationem, redemptionis Attilii pretium haberet. Qua spe cum ob mortem Reguli exciderit, sustinet conjectare Job: Hofmannus Lex: p: 219: ab ea, fabulam hanc, de necato, per incuriam & vigilias & tormenta, Attilio, in vulgus & alias mulieres, ejus affines loquaces, editam, ob odium Karthaginensium, facile arreptam fuisse.

### § XVI.

Sed licet ingenue fatear in re hac cedubia me *ἰπέχειν* malle, quam tantas lites componendas suscipere: nihilominus meas suspiciones quoque addere fas fuerit. Primum autem omnium nemo inficias ibit, quin circa plures alias historias, dubia & lites oriantur, quæ tamen illas statim refellere non valent; præsertim ubi constanti gravissimorum scriptorum fide traduntur, qui etiam inter prolixas de iis disputationes morales, ne minima quidem suspicionum

con-

contrariarum indicia reliquerunt. Circumstantiarum vero illa exigua diversitas, quæ inter scriptores apparet, nescio an rei veritatem magis destruat, quam adstruat & stabiliat. Neque etiam ex silentio scriptorum exoticorum aut ex suspitione duntaxat favoris vel odii indigenarum firmum satis ducitur argumentum; Nam quis in dubium vocaverit fidem Historicorum Romanorum, qui Karthaginem, Corinthum, Numantiam everfas deletasque tradunt, cum id ex eventu certissime liqueat? Polybius quoque Græcus, Fabium scriptorem Romanum nusquam reprehendisse legitur, quod de supplicio Reguli quidquam fuerit falso commentus. Denique id prætereundum non est, infensissimos Regulo Pœnos fuisse, quod vel inaudiverint vel suspicarentur, eum non modo pacem & commutationem captivorum Romæ dissuasisse, verum etiam continuationem belli acerrime svasisse, quod is intelligeret, qua jam conditione res Pu-

nicæ essent, quemadmodum & apud Horatium carm: lib: 3: od. 5: narrasse fertur. Tandem alias satis manifesta sunt perfidiæ ac crudelitatis Punicæ documenta, ut eadem eo minus contra Attilium, in dubium vocanda videantur, præsertim quando Horatius ode cit: v: 49: aperte dicit, illum scivisse, quæ sibi barbarus tortor pararet. Cum contra constet, Romanos mâsuetudine in hostes utendo, eos mitigare mollioresque reddere voluisse; unde haud dubie esse videtur, quod tradit Diodorus, ob male tractatos Pœnorum captivos, iratum filiis Reguli senatum fuisse Romanum. Quis etiam nescit varios rumores, licet à conjuge Attilii nunquam sparros, percrebrescere in hujuscemodi calu, Romæ potuisse, licet certissimo supplicio apud Pœnos Regulus affectus fuisset. Unde rem constanter à veteribus & quidem prudentissimis viris traditâ, non levi quadam conjectura infirmari posse, facile suspicari licet.

## § XVII.

Postremo quæri potest, annon alio modo Regulus sibi ac patriæ consulere potuisset? præsertim cum Cicero Lib: 2: offic: statuere, sed plane alio in casu, videatur, promissa non esse servanda, quæ sint iis, quibus promiseris, inutilia, quæq; plus tibi noceant, quam illi profint, cui promiseris. Et lib: 3: offic: negare videtur, iratum Jovem plus ei nocere potuisse, quam nocuit sibi ipse Regulus: & sapientem non esse, qui suæ utilitati repugnat: imo tantum mali turpitudinem istam secum non tulisse, si fidem hosti datam non præstitisset, quantum ille cruciatus. Verum hæc confutat mox Cicero, dicens Regulum, tum cum vigilando necabatur, in meliori fuisse causa, quam si domi captivus, perjurus & consularis remansisset: jus quoque bellicum fidemq; jurisjurandi hosti servanda; quod enim ita juratum erat, ut mens deferentis conciperet fieri oportere, id servandum omnino fuisse: nec

debuisset Regulū conditiones pactionesq;  
 bellicas & hostiles perturbare perjurio;  
 cum justo enim & legitimo hoste res  
 gerebatur: tandem contra officium fu-  
 isse, minus damnum anteponi majori:  
 patriæ namque haud inutile fuisse, id-  
 circo honestum sibi & sentire supplicia  
 & pati credidisse. Quare tandem con-  
 cludit Cicero, ex multis mirabilibus  
 exemplis, haud facile hoc exemplo aut  
 laudabilius ullum aut præstantius esse.  
 confer: Grotius de jure B. & P: lib: 2.  
 cap: 13: § 13:

Ob subsidiorum inopiam, his acquie-  
 scere cogor, **LECTOREM BENEVOLUM** im-  
 pense rogans, ut hocce primum ju-  
 venilis ingnii specimen æqui  
 boniq; consulat.

Dissertationi

De

M. ATTILIO REGULO

Hæc adjecta æqui bonique  
consulat

*Præstantissimus & Doctissimus*

AUCTOR,

D<sup>N</sup>. PETRUS IGNATIUS,

*Helsingf. Nyl.*

**P**Ræproperus pergit pertingere pul-  
pita Pimplæ

**I**ngenuos inter Juvenes IGNATIUS :  
ille

**P**ingvia percurrens pariter Parnassia  
prata

**I**mbribus immensis Jovis illita, jogi-  
ter hincque

**P**roripuit prosper, perfusus perma-  
didusq;

Icti-

Ictibus imbriferis illius; jactus is  
inde

Purpureipeplum Phœbi prope, per-  
polietur

Illius signiferis jaculis: Idcirco ju-  
vabat

Pingere peniculo primum Proce-  
resq̄ potentes

Italicos. jamque illiciat jucunda  
JEHOVÆ

Præmia, prægrandis pensantia præ-  
sto parentis

Impensas justas. juvat ipsum Jupi-  
ter ingens!!

*Sic strepitat SAMUEL; sonitus fat  
sic subito q̄*

*Fundere FORSENIUM fistula  
fessa facit.*

